

F W B

A N N O

1 6 6 0

Handwritten text on the spine edge, partially obscured.

17887



50/15

W. Nr. 3. 95.

Crocini


nebst Mandat Klaffen


vom 2. Sept. 23) des Obersten


des Landgrafen Ernst für Hessen-Cassel


3. cash. Kassa Buch.


L. IV. 44.

















Joh. M. Gebhardi
1703.



26

THEOLOGORVM CATHOLICORVM
EX ORDINE FRATRUM MINORUM NUNCU-
PATORUM CAPUCCINORUM.

ACTIO TERTIA

Pro Disputatione inter præcipuos dissidentes de
fide Christiana, proposita

A

CELSISSIMO PRINCIPE

ERNESTO

LANDGRAVIO

HASSIÆ, &c.



De licentia Superiorum.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud PAULUM METTERNICH, propè S. Laurentium,
Anno 1652.



[Faint, mostly illegible text on a heavily stained and aged manuscript page. Some words like 'sic' and 'cx' are visible.]

88



Lit
inte
qua
Pri
que
Pri
que
pub
scit
qua
inc
con
liu
stal

con
vel
con
sen
rita

ver
det
mu

re
mu



Magnifico D. Georgio Calixto S. Theologiae Doctore

VALERIANVS MAGNVS

Cum suis Collegis Capuccinis salutem.



ELSISSIMUS Princeps ERNESTUS Landgravius Hassiæ &c. Communicavit nobis responsum tuæ eruditionis, eiusque continuationem ad eiusdem Principis iteratas litteras, ex quo cum multa animi nostri voluptate intelligimus, te, de consensu & auctoritate tuorum Serenissimorum Principum, esse alacrem & expeditum ad ineundam continuandamque disputationem, quam de tua suggestione Celsissimus Landgravius ERNESTUS in præfatis iteratis

Litteris proposuit, ac desideravit; sed dubitamus an velis disputare nobiscum: nam intelligimus ex tuo responso desiderare te Antagonistam doctrinæ eminentioris eâ, quam speres ab Ordine Capuccinorum, quatenus securius sit consultum Celsissimo Principi ERNESTO, fluctuanti inter sententias de fide invicem oppositas. Tu quoque nactus Adversarium excelsi nominis, si viceris, triumphares gloriosius. Verùm Princeps ille stat in littore, procul à fluctibus, professus, scilicet fidem Catholicam quod factum haud putamus minuet tui zeli ardorem in elucidanda veritate ad Reipublicæ Christianæ salutem. Nos verò, tametsi, conscii nostræ hebetudinis & incitiæ, multa alacritate aggrediemur hoc opus, freti conspicua veritate Catholica: quapropter fama celebris de tua doctrina nos non terret: sed neque spes victoriæ incitat, quippe qui desideremus lucem veritatis utrinque excussam, & animorum concordiam. Imo neque detrectamus descendere in hanc arenam cum ullo mortali: quapropter provocamus doctissimum quemque, defensuri doctrinam, stabilitam à Deo adversus omnem altitudinem intellectus.

Porro cum tua circumscriptio reservet sibi ius integrum, quod disputaturo competit, nempe ponendi theses, sive designandi, quid affirmes, quid neges, & quid vel ipse aliis demonstrare promptus sis, vel ab aliis demonstrari tibi postules, id sic concedimus, ut sit nobis commune. Immo exponimus tuæ humanitati nostram sententiam de modo, quem teneant illi, qui candidè conspirant ad inquisitionem veritatis.

Homines revelant aliis hominibus voce, aut scripto propriam sententiam de veritate rerum scibilium; quæ revelatio ordinatur vel ad doctrinam, cui respondet disciplina à Doctore in Discipulum, vel ad amicam communicationem, vel demum ad disputationem in ordine ad victoriam scholasticam.

Nos non quærimus doctrinam à tua humanitate, sed neque cogitamus subiicere te nostræ disciplinæ, multò minus volumus vinci, aut vincere; sed duntaxat exoptamus amice exarare tibi seriem argumentorum, secundum quam fides Catholica oc-

cupavit animum nostrum: à te verò percontabimur errores, qui tuo iudicio irrepserint; gaudebimus porrò, si tu ipse id identidem nobiscum agas: Nam ponere thesin, & oculere seriem argumentorum, per quam iudicatur vera, exponit argumentantem periculo responsionis, qua inopinatò percussus erubescat: quapropter Celsissimus Princeps optavit theses confirmari suis argumentis, priusquam improbentur ab alio argumentante, imo communicavit de consilio Valeriani eius tractatum de regula credendi tibi, aliisque Theologis accitis ad congressum Francofurtensem, quare non affectatur confusio partis oppositæ, sed veritas, quæ sita utrinque cum integro animi candore Quoniam verò in nostra prima actione posuimus nostras theses Categoricalas, claras, & præcisas, has hac actione tertia confirmamus aliquo argumento, reservato nobis iure urgendi alia; non enim una actione absolvimus probationem positæ thesisi: præsens enim disceptatio, te etiam Consultore, fit per partes, quatenus nec nos, distracti aliis curis, grauemur opere prolixo, neque alios tædeat prolixæ lectionis. Sane exhibuimus in disputatione, habita Reinfelsæ apud B. Goarem cum D. Petro Habercornio, & suis Collegis, probationes nostras; verum eas condensavimus ad angustiam temporis, præscripti nobis à præfatis D. D. Darmstadinis, festinantibus abire. Nunc igitur, positi extra illas angustias, formamus quæstionem supremam, cui solvendæ collimare debent illi, qui descendunt in hanc Arenam: quoniam verò quæstio urgetur super facto Ecclesiastico, id primo omnium exponimus.

Omnes Christiani credunt Deo revelanti, quod symbolum fidei sit verum.

Quod verò illud symbolum sit à Deo revelatum, credunt perhibenti testimonium de revelatione facta. Hæc propositio.

Quidquid Deus revelavit esse verum, est infallibiliter verum.

Est Regula fidei divina, certa & infallibilis, recepta ab omnibus Christianis, quorum tamen sententia, de perhibente testimonium, quænam doctrina sit à Deo revelata, est duplex.

Una pars Christianorum credit, Spiritum Sanctum ex merito Christi assistere infallibiliter Ecclesiæ docenti, & testimonium perhibenti, de verbo Dei revelato, & de eius vero sensu: Hi denominantur Catholici.

Altera pars credit Ecclesiam perhibentem, tale testimonium posse errare, & errasse, à quibus erroribus quilibet, & quælibet possit cavere sibi per proprium scrutinium sacri textus. Hos honoris gratia denominamus Bibliistas.

Catholicorum peculiarem regulam credendi complectimur hac propositione.

Quidquid suprema auctoritas Ecclesiæ Catholicæ proponit, & declarat velut symbolum fidei revelatum à Deo, id est infallibiliter revelatum à Deo: Bibliistarum verò peculiarem regulam credendi non audemus reducere in unam propositionem Categoricalam, quæ sit universalis. Qualis enim est veritas hujus?

Illam doctrinam de symbolo fidei, quam quilibet & quælibet habet ex proprio scrutinio sacri textus, est infallibiliter à Deo revelata.

Durus est hic sermo: quapropter multi moderantur multipliciter hoc privatum scrutinium, qua de re illi audiendi sunt,

Si

Si Catholici evincant præfatam suam regulam credendi esse veram, eo ipso certi sunt se in vera Ecclesia Christi profiteri symbolum fidei à Deo revelatum, cum sit absolutè impossibile, eum errare, qui credit Magistro non erranti. At tametsi Biblistarum Regula credendi esset vera, superest tamen cuilibet scrutinium multiplex ex sacris litteris.

Porro secundum has duas credendi regulas duæ classes Christianorum fuerunt propagatæ ab exordio nascentis Ecclesiæ: Catholicorum una, Biblistarum altera. Catholici durant usque ad nostram ætatem: nimirum, profitentur symbolum fidei Christianæ auctum explicationibus sancitis, & promulgatis à suprema iurisdictione Ecclesiastica. Biblistarum verò non est unus Cætus, sed una confusio plurimorum Cætuum, qui, arbitrati Ecclesiam Catholicam errasse, conati sunt sibi cavere ab illis erroribus per scrutinia cuiusque propria: Nimirum, Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Pelagiani, Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, & alii huius farinae viri, non sunt unus Coetus Christianorum, sed plures, confusi sub una communi regula credendi.

Itaque, super hoc facto Ecclesiastico movetur hæc questio Capitalis. Vtrum Catholici, an Biblistæ constituent veram Ecclesiam, profiteanturque verum symbolum fidei Christianæ?

Quoniam verò, ut dictum est, nos contendimus demonstrare infallibilitatem Rom. Pontificis, cuius doctrinam sædasti, imputando Catholicis 80. circiter propositiones, quorum multæ damnantur hæresis ab Ecclesia Catholica, nolumus producere Pontificem in theatrum disputationis nostræ, deformatum eiusmodi larva: quapropter distinguimus intentionem tuam. Velenim accusas Rom. Pontifices, quod omnes propositiones illas docuerint, doceantque ex Cathedra: vel accusas promiscuam licentiam inter Catholicos prorumpendi in præfatas, aliasque eiusmodi propositiones. Quod illas omnes vitio veritas Pontifici Romano, eas docenti ex Cathedra, non credimus: id enim foret mendacium turpe nimis, alienum à tua sinceritate. Sin verò exprobras Catholicis præfatam licentiam, forma, tuo tamen locorum syllogismum, ex quo intelligamus, quousque per te, se extendat imputata licentia, quidve inde inferre velis: postulamus enim à tua prudentia discretionem inter doctrinam, mores, & abusus nobis imputatos. Cum aggredieris doctrinam expende, quid ex Cathedra definitum sit apud Catholicos, & noli corradere in unam miscellam, quæ Theologi ex propria sententia, quæ adulatores, quæ indocti, & quæ alii eiusmodi homines passim, aut dicunt verbo, aut produnt facto: hæc enim indiscretio seu confusio, si sæpius à te repetatur, videretur ordinata ad deceptionem simpliciorum. Nos ergo determinaturi quæstionem præfatam repetimus ex prima nostra actione tres priores theses, nunc probandas.

1. Homines communicantes in fide cum Pontifice Romano constituunt illum Cætum, qui solus est vera Ecclesia.

2. In prædicta nostra Ecclesia unusquisque tenetur credere explicitè symbolum Apostolicum, & implicitè (si non subsit causa, quæ requirat fidem explicitam)

omnia illa, quæ circa doctrinam fidei fuerunt decreta in Conciliis generalibus, appro-
bata à Rom. Pontifice: ii verò, qui contumaciter profitentur doctrinam opposi-
tam, sunt ipso iure separati à Cœtu fidelium, nullo Christianorum exempto.

3. Articuli ab ætate Lutheri controversi inter Christianos, fuerunt decisi à Sa-
cra Omcumenica Tridentina synodo, confirmata à Pio IV. Romano Pontifice.

Argumentamur autem hoc modo.

Hæ tres theses confirmantur auctoritate Pontificis Romani, habentis aucto-
ritatem infallibilem in proponenda, & declaranda universæ Ecclesiæ, ex Cathedra,
doctrina fidei Christianæ: & jurisdictionem segregandi à Cætu fidelium eos om-
nes, qui contumaciter eam pernegant.

Atqui illæ theses, quæ nituntur auctoritate Pontificis Romani, habentis aucto-
ritatem infallibilem in proponenda & declaranda universæ Ecclesiæ, ex cathedra,
doctrina fidei Christianæ & jurisdictionem segregandi à Cætu fidelium eos omnes,
qui contumaciter eam pernegant, necessariò sunt infallibiliter veræ.

Ergo tres theses præfatæ sunt infallibiliter veræ, Prærogativam integram Pon-
tificis Romani, quam assumimus in hoc syllogismo, nominamus Primatum, quate-
nus consultum sit brevitati & claritati. Sed prius præcisè ponimus, quæ concernunt
illam infallibilitatem.

Quatuor concurrunt in hac definitione, cui tribuitur infallibilitas. 1. Defi-
niens. 2. Materia definienda. 3. Modus definiendi. 4. Illi, qui obligantur ea
definitione.

Definiens est Pontifex Rom. cum Concilio, vel sine illo, pro rei exigentia,
nuquam deficiente Collegio Cardinalium, & aliorum Theologorum, qui adsunt
Pontifici.

Quæstiones definiendæ sunt illæ, quæ moventur circa articulos fidei Christia-
næ ab Hæreticis, nec non & aliquando à Catholicis, cum periculo puritatis doctrinæ
Catholicæ.

Modus huius definitionis, est definire ex Cathedra. Id verò sic declaramus.
Nulla actionum regiminis Ecclesiastici est magis necessaria, & difficilis, quam obli-
gare Ecclesiam totam sub anathemate ad recipiendum sine contradictione eas defi-
nitiones: quapropter nulla humanarum actionum debet fieri evidentius ex inte-
gerrima animi sententia, ac proinde illæ circumstantiæ humanarum actionum, quæ
secundum rectam rationem irritant actum, velut non processerit ex integra animi
sententia, convincunt Pontificem non definivisse ex cathedra, aut certe id subjiciunt
iustæ dubitationi. Porro praxis Ecclesiastica requirit intentionem obligandi Eccle-
siam totam, & intimatam pœnam anathematis; altera harum conditionum deficien-
te definitio Pontificis dubia videtur, an sit ex Cathedra, tanta enim actio non debet
fieri per accidens, sed per se, ex intentione directa; cum solemnitate ordinaria. Hæc
porrò solemnitas rarò adhibetur, si quidem raro occurrunt quæstiones de fide non
decisæ ab aliis summis pontificibus, & Conciliis generalibus.

Eiusmodi verò, definitiones ex Cathedra obligant universam Ecclesiam,
ipsam-

ipsumque, Romanum Pontificem, eatenus definientem, totumque Concilium, tametsi generale totius orbis, adeò ut decreta eiusmodi semel sancita & promulgata, sint irretractabilia.

Nos ergo non imus probatum, quòd Pontifex Romanus non possit errare in fide, nec tamen id affirmamus, sed duntaxat confirmamus Pontificem Rom. definientem ex Cathedra, eo modo, quem supra explicavimus, non esse obnoxium errori in fide. Hisce præmissis, probamus minorem, seu primam propositionem præfati syllogismi.

Hæ tres theses confirmantur auctoritate Pontificis Rom. qui succedit D. Petro in Episcopatu urbis Romæ.

Illæ vero theses, quæ nituntur auctoritate Pontificis Rom. qui succedit D. Petro in Episcopatu Urbis Romæ, necessariò confirmantur auctoritate habentis primatum super universam Ecclesiam.

Ergo illæ tres theses confirmantur auctoritate Pontificis Rom. habentis primatum super universam Ecclesiam.

Maiorem seu secundam propositionem huius syllogismi, quæ supponit D. Petro Primatum fuisse concessum, probabimus.

A Ratione.

Ab oraculis Veteris testamenti de Christo Rege, & eius regno.

A Sacris Evangeliiis.

Ab actis & Epistolis Apostolorum.

Minorem verò eiusdem syllogismi probabimus ab Antiquitatibus Ecclesiasticis annorum mille sexcentorum.

Demum bonitatem ficulneæ argumentabimur à ficibus bonis: hoc est, ab effectibus.

Hisce argumentis exarabimus tuæ eruditioni seriem ratiocinationis, quæ nos cogit ad communionem in fide cum Urbis Romæ Episcopo, Itaque ex præfata argumentatione nostra propositiones capitales à nobis demonstrandæ sunt tres.

1. Christus contulit D. Petro primatum super universam Ecclesiam.
2. Christus voluit primatum collatum D. Petro transire ad ejus Successores.
3. Episcopus Urbis Romæ est successor D. Petri.

Probamus autem à Ratione Christum debuisse conferre alicui, fidelium primatum super universam Ecclesiam: præmittimus tamen differentiam regni Cælorum à regnis terrenis.

Regna terrena, tametsi iniqua, & fundata super mendacio, puta Regem, qui falsò creditur filius sui prædecessoris, subsistunt tum sola potentia temporali.

Regnum verò Cælorum, seu Ecclesia Christi fundatur super veritate doctrinæ à Deo revelatæ: quapropter Ecclesia non potest subsistere, si veritas doctrinæ à Deo revelatæ, non fulgeat certa, & infallibilis ipsi Ecclesiæ, sic ergo argumentamur.

Christus fundavit Ecclesiam suam super doctrinà Deo revelatà, quæ fulgeat ipsi Ecclesiæ certò & infallibiliter usque ad consumationem seculi.

Is verò,

Is verò, qui fundavit Ecclesiam suam super doctrina à Deo revelata, quæ fulgeat ipsi Ecclesie certò & infallibiliter usque ad consumationem seculi, prudentissimè constituit in eadem Ecclesia usque ad consumationem seculi unum hominem, aut hominum cætum, pro tempore existentem, qui habeat auctoritatem infallibilem in proponenda & declaranda universæ Ecclesie, ex Cathedra, doctrina à Deo revelata: & jurisdictionem segregandi à cætu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant.

Ergo Christus prudentissime constituit in eadem Ecclesia usque ad consumationem seculi unum hominem aut hominum Cætum, pro tempore existentem, qui habeat auctoritatem infallibilem in proponenda, & declaranda universæ Ecclesie ex Cathedra, doctrina à Deo revelata, & iurisdictionem segregandi à cætu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant.

Nos ergo Capuccini postulamus à tua eruditione, & prudentia sententiam tuam de hoc argumento. Verùm, ne allucinere circa nostram conclusionem, distinguimus, quod Auctoritas Papæ sit infallibilis, à sententia, quod christiani teneantur profiteri hanc infallibilitatem. Nos theologice dicimus auctoritatem illam esse infallibilem, at non intulimus fideles christianos obligari ad ejus professionem: obligantur tamen sub anathemate admittere decreta fidei inde emanata, successus verò nostræ disquisitionis solvet nodos, qui supersunt.

Rogamus porrò humanitatem tuam velit se accommodare huic methodo, quam inchoavimus, scilicet, ut nos non argumentabimur ex veteri testamento infallibilitatem Rom. Pontificis, nisi post exaratum argumentum à Ratione, sic & tu non opponas argumento nostro à Ratione, nisi Rationem tuo iudicio oppositam, quæ enim aliunde inducere potes, induces opportunius tum, cum exinde nos fuerimus argumentati: series enim nostræ ratiocinationis complectitur illa omnia, unde tua eruditio vult improbare infallibilitatem à nobis assertam.

Quatenus verò tibi magis constet de hac nostra methodo, examinabimus & nos seriem tuæ ratiocinationis, ex qua concepisti doctrinam fidei, quam profiteris, illo ipso ordine, quem desideramus observes in examine nostræ doctrinæ.

Itaque dum tua solertia expendit nostrum argumentum, ductum à Ratione pro infallibilitate Rom. Pontificis, nos vicissim præparamus aliam actionem, in qua examinabimus argumenta tua, quibus confirmasti doctrinam fidei, quam profiteris: neque argumenti tui spheram egrediemur, donec delabaris ad aliud argumentum, eadem methodo à nobis examinandum. Deus te servet incolumem. Actum Colonie. 5. Februarii Anno 1652.

F. VALERIANUS MAGNUS, Capuccinus.

F. BARTHOLOMÆUS, VVernensis, F.F. Cap. Coll. Guardian.

F. BENIGNUS Elbingensis Concionator Capuccinus.

154887


ULB Halle 3
002 639 602



5b.

AB 154887





THEOLOGORVM CATHOLICORVM
EX ORDINE FRATRUM MINORUM NUNCU-
PATORUM CAPUCCINORUM.

ACTIO TERTIA

Pro Disputatione inter præcipuos dissidentes de
fide Christiana, proposita

A

CELSISSIMO PRINCIPE
ERNESTO
LANDGRAVIO
HASSIÆ, &c.



De licentia Superiorum.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud PAULUM METTERNICH, ptopè S. Laurentium,
Anno 1652.

